



Et matres et pueros occidet et flammis donaria
Russum consumet, et post urbium regina corruet?
Cuinam tum casus istius urbis adscribitur?
Vobis, cives. Ergo quid ignis ille lucri faciet?
Po. Te ipsum. — Tu. Iube sis, consul, de sententiarum tabulis.
Cr. Suffragari volumus. — Po. Suffragium, suffragium!
Me. Itaque si iam voltis, ergo suffragamini.
Re. Audite me, Quirites, si iam voltis suffragarier
Et istac re triumpare sinitis Karthaginem;
Iam liberate illos paucos, qui in hostium compedibus
Abiecte et humiliter didicerunt repere, in quibus
Ne stilla quidem ullast iam Romanæ magnitudinis;
At me, quom sim Romanus, nunquam liberabitis.
Tu. Supplicamus tibi, pater. — Cr. Supplicamus. — Po. Maneto,
[Regule.

RE. Non ita, Romani; nunquam Regulus vitam suam
Ullius vita civis turpiter mercabitur.
Egone decrepitus senex vias Romae mi dislicens
Pudore affectus poplitibus infirmis transeam,
Quae per me sunt modo tam desertae ac tam vacuae?
Periculum ego pol et mortem didici contemnere,
At contumeliam et pudorem ferre non quaeo.
Auditin, cives? servabo, quod sum pollicitus.
Iam decernatis, ut lubet; at ut praeco pronuntiaverit
Captivos esse permutandos, pectus iuro per Iovem
Mihi transfixurum; videtin hoc parazonium?
SEX. Ohe iam! — PU. Vae mihi! — TU. Illi pugionem, consul eripe!
PU. Hei mihi! — CR. Qui estis forti animo, me sequamini.
ME. Recedite! — RE. Nisi voltis statim me cadere mortuum,
Recedite; eripiatis mi parazonium licet,
Quid istuc est? in Acheruntem multæ sunt viae;
Frustra retinere me voltis. Consul, iube suffragarier.
Audite, cives, quasi e busto animus clamat vobis meus:
Ne me curate, sed rei Romanae publicae.
ME. Istoc silentio adducor, ut credam vos sententiam
Mutavisce. Auditin me? Numquid jam decernitis?
Vos illum liberare voltis, is recusat pertinaciter.
Ergo Roma exeat nostro grato comitatus animo.
Iam posteri hanc ob causam agent ei gratias maxumas.
Audite sultis, cives, qui meus nunc animus sentiat.
Ubi quidam deus adparet humana specie,
Ibi quis tandem vana volt splendere magnitudine?

(Ad proximum numerum)





Ann. XXV

Romae, mense Octobri MCMXXXVIII

Fasc. X

Pauca exemplaria reperta sunt

IOANNIS B. FRANCESIA actionis dramaticae, versis senariis conscriptae,
cui titulus:

EUPLIUS

Venit libell. italic. 2; quibus addenda erunt libell. 0,60 in Italia;
libell. 1 apud exteris nationes, pro transmissionis expensis.

Praeterea

Apud Commentarii Administratorem venumdantur JOSEPHI FORNARI
Milesiae fabulae latine scriptae scenisque accommodatae apud
ephebea facile agendis:

FRIDIANUS-FRANCISCULI PRANDIUM

Singulae pretio italic. libell. 2.

(*Ils vero qui extra Urbem hos libros mitti iubeant, addendum erit publici
cursus pretium, iuxta normam libell. 0,60 pro singulis exemplaribus.*)

Pro lectoribus novisque sociis, qui **integralm ALMAE ROMAE
collectionem** habere cupiant ab anno MCMXIV ad expletum annum
MCMXXXVII, paucorum exemplarium quae supersunt pretium consti-
tuimus libellarum 600 pro Italiâ; pretium duplicatum, libell. italic.
scilicet 1200, pro exteris gentibus.

Hae vero collectiones, adiecta in litteris pecunia per nummariam
syngrapham in Urbe exigendam, *recto tramite* requirendae sunt ab
ALMAE ROMAE administratore (*Roma, 12, Via del Governo Vecchio, 96*): quod enim pretium positum est, non sinit ut foenus aliquod
bibliopolis, vel mediatoribus quibusvis rependi possit.

ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Premium subnotationis an. MCMXXXVI est pro Italia libell. 15; pro ceteris nationibus summa italicas
lib. 30 exaequans; *ante solvendum rectoque tramite mittendum* sive ad Iosephum Fornari doctorem
Romam, Via del Governo Vecchio, 96 sive ad *Typographiam Polyglottam Vaticanam, Città del Vaticano*

Libamenta ex Clementis Ianicii carminibus oblata

Poëtae, quem ante oculos lectorum ponimus, nomen est Clemens Ianicki, qui ortum in vico Januszkowo prope Gnesnam sito habuit ibique die 17 Novembris 1516 natus est. Cuius partitidine parentes, cum decem mensibus ante pesie tum grassante omnes liberos perdidissent, vehementer gavisi sunt. Pater erat vir rusticanus, qui filium a pueritia imbecillum a rebus rusticis excludere et ad litteras adducere malebat, qua de re poëta ipse vitae cursum anno 1541 depingens ita nos docet :

*Devoveor studiis vixdum quinquennis honestis
Musarum et primas collocor ante fores.
Nempe pater, quia me nimis indulgenter ha-
[bebatur]
Vivere me durum noluit inter opus,
Ne tenera informi manus attereretur aratro
Neve aestas molles ureret igne genas.*

Parvus Clemens igitur incunabulis doctrinae in oppido finitimo Znena (Znin) imbutus ad academiam Posnaniensem, quae tum magna florebat auctoritate, ascriptus est. Ibi puer per se praeclera indole praeditus poëtas Romanorum, præcipue Virgilium Ovidiumque, cognovit et

eorum studio facultatem poëticam sibi insitam excoluit. Atque tam pulchre processit, ut annos quindecim et novem menses natus festo quodam in aula scholae celebrato laudes Ioannis Lubranskii episcopi, qui eam condiderat, carmine caneret. Ex quo principem inter aequales locum obtinuit et magistro in deliciis fuit.

Nihilo setius poëta iuvencus propter egestatem patris Musis vale diceret necesse fuisset, nisi Cricium, archiepiscopum Gnesensem, adiutorem invenisset. Ille, ut erat ipse scriptor et poëta, Ianicum vere anni 1536 in domesticos suos aggregavit eumque magno favore amplexus est. Testis est hoc epigramma :

*Pollio Vergilio quod erat, Messalla Tibullo,
Maecenas Flacco, tu mihi, magne Crici, es.
Sed tamen iis tantum praestas pietate, Came-
nis
Quantum illi praestant ingenioque mihi.*

In aula primatis Poloniae Ianicius apud multos viros illustres in gratiam atque amicitiam venit. Sed improvisa mors eum postero iam anno patrono benevolentissimo privavit et acerbissimo luctu oppletum reliquit. Deinde famulatum exhibuit Petru Comitae, palatino Cracoviensi ac « marascalco » Poloniae, qui vir eruditissimus ac pariter fautorem se benignum praestabat. Quamquam igitur vitae condiciones optimae erant, poëta tamen iter Italicum omni

voto expetivit, ut facultates ingenii subtilliore doctrina excolet. Itaque domino suo animi desiderium his versibus modeste aperuit:

*Tu potes ingenium mihi, tu dare pectus et
[ignem,*

*Quem dare cultori Calliopea solet,
Tu potes multos me transformare per an-*
[nos

Et facere, ut fiat, qui fuit anser, olor.

*Cera ego sum mollis, cuivis nimis apta figurae,
Quod manus artificis me volet, illud ero.*

O utinam timidi cognoscas vota pudoris

Accipiasque meas aure favente preces!

*Et mihi magna licet tentem, de more benignus
Annuere, o nulli vir superande, velis!*

Vir egregius preces secundis auribus
excepit et pecuniam viatoriam magna li-
beralitate contulit.

Itaque Ianicius Martio aut Aprili mense
 anni 1538 cum compluribus sodalibus in
Italiam profectus est et Patavii consedit,
ubi potissimum doctrina Lazari Bonamici,
magistri litterarum latinarum, fruebatur
et propter discendi studium et eximiam
artis poëticae indolem brevi tempore in
eius consuetudinem et amicitiam insinua-
bat. Nec mirum est, si poëta noster hac in
urbe familiariter ac libenter fuit eiusque
pulchritudines his verbis mactavit:

*Certe ego quod vivo Patavina tempus in urbe,
In caelo videor vivere paene mihi.*

*Et me felicem nimium nimiumque beatum,
O mihi sortis eat dum tenor iste, voco.*

*Euganei facies caeli quem sola situsque
Non iuvet istius tempestesque loci?*

*Miraque murorum ratio, quam vellet Apollo,
Si fieret rursus Troia novanda, sequi?*

*Moenibus in mediis silvae vinetaque et inter
Vicorum varias flumina ducta vias?*

Concentus volucrum per amoenos plurimus hor-
[tos,

*Quem brevis adventu vix quoque rumpit hiems?
Quaelibet aspicias est ruris in urbe voluptas
Et quae per laetos gratia regnat agros.*

Mox tamen inopia eum premere coe-
pit, quae ei impedimento fuit, quominus

alias Italiae urbes adiret. Huc accessit,
quod valetudine per se tenera, mense Iulio
anni 1539 ineunte, in febrim malignam
incidit ac terribili morbo aquae intercutis
corruptus est. Ipse hanc sortem ita quaer-
ritur:

Pallor is est maciesque in me, quae saepe vi-
[deri

*Vana sepulchorum corpora nocte ferunt.
Lumina ut in specubus latitant defossa duobus*

Inque acie multum sunt hebetata sua.

Ferre caput nequeo collo, quod membra se-
[quuntur

*Cetera, non illo languida facta minus.
Officium, recte quo fungebantur, inertes*

Deseruere manus, deseruere pedes.

Affixus lecto totis decumbo diebus,

Ut nuper natus viribus absque puer.

Tametsi duo medici spectatissimi ratio-
nem medendi ad eum admovebant, tamen
vis morbi per longum tempus frangi non
poterat, dum vere anni 1540 valetudo in
melius versa est. Paulo post examine su-
perato Ianicius die 22 Iulii 1540 ad gra-
dum doctoris artium ac philosophiae pro-
motus et poëta laureatus creatus est.

Mansio autem in Italia ei magno emolu-
lento fuisse constat. Accrebit enim ali-
quanto ipsius linguae forma et exploitio.
Hanc terram eximie dilexit, cuius amoena-
titibus summam laudem tribuit, sed plu-
rimi tamen aestimavit patriam:

*Pace loquar patriae, quanto felicior essem,
Haec me tam felix si genuisset humus!*

*Sed tamen idcirco, quoniam sic fata tulerunt
Provida, Sarmatiae filius esse queror.*

*Nulla sub immenso tellus est talis, ut illam
Fas mihi sit terrae praeposuisse meae.*

*Italiani miror, patriam venerorque coloqe,
Afficit illius me stupor, huius amor.*

*Altera blanditiis animum tenet, altera magno
Iure, haec hospitium dat mihi, at illa larem.*

*Atque utinam detur quondam mihi posse reverti
Illius inque pios hinc remeare sinus.*

Optatis mox fortuna respondit. Etenim,
sive monitis medicorum obsecutus sive po-
tius desiderio patriae permotus, Ianicius

paulo post illam celebritatem academicam
Patavium reliquit et autumno anni 1540
aegrotus Cracoviam pervenit. Valetudo
enim difficultatibus itineris magni et mo-
lesti par non fuerat; corpus eius debilita-
tum denuo aqua intumescere coepit. Modo
remittebat, modo aggravescerat ille mor-
bus. Hanc calamitatem alia infortunia gra-
vitate adaequabant. Ex favore Petri Comitae
patroni ob causas ignotas interim excide-
rat. Pater anno 1541 naturae satisfecit et
frater unicus eodem anno occisus est.
Omni spe destitutus Ianicius in proprium
praediolum se recepit et in litteras se abdi-
dit; matrem quoque viduam secum habuit.
Sed admirabilis mansit vigor eius animi,
quoniam tantis fortunae ictibus oppressus
annis 1541 et 1542 plurima et praeclaris-
sima quaeque carmina composuit et maio-
rem partem imprimendam curavit. Inter
alia tum demum illam seriem perfecit quin-
quaginta quattuor carminum, quibus vitas
ducum ac regum Poloniae illustrabat; unum
saltem ex eis sequatur:

CASIMIRUS III MAGNUS (1333-1370)

*Nil hoc splendidius, nil magnificentius uno est,
Quodcumque illius respiciatur opus.*

*Legibus armavit patriam placidumque sub illo
Libertas ad nos protulit alma caput.*

*Oppida tot cincti muris, quot paene per omne
Hoc regnum muris oppida cincta vides.*

Tres simul hospitio excepti cum Caesare re-
[ges,¹

*Cum sibi dat neptem, Carole quarte, suam
Rex ingens opibus, bello, pietate. Quid illum,*

Quid premis infami, Cypria sola, nota?²

*Hunc dici Magnum est iniuria magna, Poloni,
Iure suum nomen: Maximus esse potest.*

Ceterum supremis admota est vita Cle-
mentis Ianicii, quem in praestantissimis
viris humanitatis studiis deditis numera-

¹ Reges Hungariae, Daniae, Cypris mense Decem-
bri 1363 ad nuptias celebrandas Cracoviam venerunt.

² Regem ad Venerem pronum fuisse notum est.

mus. Ipse mortis praematura sibi con-
scius fuit scribens:

*Certe ego dum mecum haec considero tempora
[mundi
Suspicio extremum non procul esse diem.*

Sed neque dies emortalis neque locus
moriendi nobis est notus. Illum paupertate
circumventum aut sub exitum anni 1542
aut initio insequentis de vita migravisse
opinamur. Lectoribus autem, qui exactius
carmina eius capessere volunt, editionem
egregiam Ludovici Cwiklinskii commendo,
quae Cracoviae anno 1930 in lucem
prodiit.

Scr. Hindenburgii d. xxx mens. Augusti 1938.

HANS LIS,
studiorum consiliarius.

CRUCIS TRIUMPHI

Nefaria antiquorum temporum facinora
variis pro rei magnitudine puniebantur tor-
mentis, quibus a scelere deterrentur ho-
mines. Maximo fuisse ludibrio non sibi tan-
tum, verum et eorum familiis, accepimus
in crucem homines actos, flagitorum ut
luerent poenam. At vero divina providen-
tia iam ab aeterno statutum est, ut quod
signum olim esset ignominiosissimum, id
aliquando tamen praeclarum honestumque
haberetur. Nam Christus moriens cruci
summum intulit honorem ac pene infinitam
virtutem, adeo ut regum insignia plerum-
que fuerint atque sint ipsa cruce nobilitata.

Quot quantaque beneficia universo ter-
rarum orbi ex ea sint profecta, quis verbis
consequi potest? Crux enim in causa fuit,
ut innumera mancipiorum agmina, quae
pecudum more, miserum in modum, vitam
agerent, libertate donarentur; ut foeminae,
quae libidinis instrumenta haberentur, in

pristinam restituerentur dignitatem; ut homines suavissimo caritatis vinculo iuncti ac sociati, veluti fratres sese mutuo diligenter, atque vel ipsis inimicis beneficia conferrent. Quin imo civilis hominum communitas ab imis per eam instaurata est fundamentis; namque odio amor, impudicitiae verecundia, incontinentiae moderatio, irae patientia, ceteris denique effrenatis vehementibusque cupiditatibus contrariae virtutes maximo cum bonorum morum incremento sunt suffectae. Quae, crux, tua virtus! Memoriae traditum est, Constantino, cui nomen Magno, contra Mezentium pugnanti crucem in altum affulsius his verbis: «In hoc signo vinces», atque adeo recreatum et ad pugnandum fuisse excitatum, ut brevi hostes profligaverit.

Haec nobis cogitantibus sponte sua in mentem redit insignis victoria, quam de Turcis apud Echinadas insulas, anno millesimo quingentesimo septuagesimo primo, nonis Octobribus, Christiani, favente cruce, sunt consecuti. Haec pugna navalis, recte notat Albertus Guglielmottius, rerum navalium scriptor apprime peritissimus, rei magnitudine cum nulla ante acta comparari potest, si praelium ad Actium excipias. Constat enim Turcas in ducentis viginti duobus triremibus ac sexaginta biremis arma Christianis foedere coniunctis intulisse, quorum classis ducentarum quadraginta trium navium erat. Sociis Christianorum copiis praererat Ioannes ab Austria, Philippi II Hispaniae regis frater, qui classem universam in tres divisit acies, quarum dexteram Ioanni Andreea Doria credidit, Augustino Barbarigo sinistram, medium vero sibi reliquit. Notandum Ioannem Andream Doria suis navibus, tametsi sub Hispaniae rege stipendia ficeret, ad pugnam accessisse; Augustinum vero Barbarigo triremibus praefuisse a Veneta republica missis. Itaque etiam Aly, qui supremus Turcarum dux erat, classem in tres constituit acies, quarum medium ipse

ducendam suscepit, ut maiorem in Christianos impetum faceret; reliquis vero praecepit, ut dextrorum simul ac sinistrorum hostium triremes circumirent, vehementerque premerent. Utrinque permagna animi contentio, atque incredibilis pugnandi ardor: Turcae se facile consecuturos victoriam sperabant, quibus iam Nicosia atque Arsinoe oppugnandis fortuna laete arrisisset; Christiani, crucis auxilio freti, in Christi hostes profligandos magna spe arma admovebant.

Priusquam praelium committeretur, in praetoria nave crucis vexillum, a Summo Pontifice Pio V missum, Ioannes ab Austria erigendum curavit, omnesque classiarii milites, quibus nomen a cruce, flexis genibus preces ad Deum fuderunt; ipse vero dux in bireme universam navium invisit aciem, ut animos ad pugnam magnopere excitaret.

Dato signo, praelium vehementi initum est impetu: sinistra ac media Christianorum acie plures horas strenue dimicatum est: Augustinus Barbarigo, Turcarum triremes sinistrorum vehementissime aggressus, earum interfecit praefectum; sed fugatos insequens hostes letale vulnus in oculo accepit. Quare sibi mortem instare sentiens, qui ei aderant pugnae exitum efflagitavit; a quibus quum de Christianorum Victoria certior factus esset, palmas ad caelum tollens, Epaminondae instar, extremum edidit spiritum.

Neque minori virtute milites pugnarunt, qui ab Hispaniae regis fratre ducti erant: iam pluries praetoriam Aly trirerem aggressi, ab hostibus repulsi fuerant: tandem Marcus Antonius Columna et Sebastianus Venierius, quorum primus triremibus praererat Romae, alter Venetiarum naves una cum Barbarigo duxerat, in praetoriam irruerunt triremen, aliique quamplurimi exemplum imitati, impetum totis viribus in hostes fecerunt, ita ut brevi, Aly interempto, in eius navi crucis vexillum dare-

tur ventis, clamoribusque victoriae Christianorum triremes undique resonarent.

Ex classiariis militibus a cruce nuncupatis, qui strenuissima virtute inter se sese hoc praelio contendisse videntur, ignavia tabuit Ioannes Andreas Doria, dexteræ aciei praefectus, qui simulata prudentia, ne dicam malo animo, in altum cunctando, Turcas dextrorum irruentes declinavit. Quod minime impedivit, quominus Christiani insignem ac pene incredibilem de Turcis reportarent victoram: ex ducentis enim octoginta duabus hostium navibus vix quadraginta quinque praecipi fuga se a periculo eripuerunt. Reliquae pars flammis datae, pars fluctibus obrutae, pars denique in ditionem redactae; adeo ut quadraginta circiter Turcarum millia caedentur, octo vero millia in manus Christianorum venirent. Ex qua victoria summa Christianis beneficia mihi videntur fuisse profectura, nisi Hispania clam de rivalitate cum Venetiis contendisset: quare discordia in causa fuit, ut foederatae Christianorum copiae fusos Turcas vehementissime non insequerentur, eosque ad nihil omnino redigerent. Universus tamen terrarum orbis ob Naupacti victoriam laetitia exultavit: omnes enim, Turcarum terrore percorsi, pugnae exitum permagna animi sollicitudine exspectabant. Nondum equidem memoria exciderat efferatos Turcas quindecim Christianorum millia Nicosiae ad internecionem caesisse, atque Marco Antonio Bragadino, gubernatori Arsinoe, vivo detraxisse pellem. Quibus factum est, ut catholici principes, Pontifice Pio V auctore, arma foedere iuncta inferrent in Turcas, ut tantam pestem perniciemque a Christianis prohiberent.

Itaque Marcus Antonius Columna, romanarum triremium praefectus, Romanum rediens triumphi pompa ac plausu exceptus est; Sebastianus quoque Venierius laudibus atque honoribus Venetiis cumulatus. Quum autem Victoria ea die sit relata, qua

ubique terrarum christiani coetus a Rosario nuncupatas preces in pietatis testimonium Virgini offerrent, iure meritoque putatur Rosarii quoque virtuti hostium cladem deberi. Quamobrem, ut Virgini in cunctis terrae oris pro insigni beneficio perennes agerentur gratiae, Romani Pontifices prima mensis Octobris dominica festum Virgini sacrum a Rosario appellatae quotannis solemnni ritu celebrari iusserunt.

Denique haud praetereundum puto, Rome in templo, cui nomen a Sancta Cruce Hierosolymae inventa, coetum quendam piorum virorum a Cruce nuncupatum fuisse institutum, qui eius cultum longe lateque propagare sibi propositum haberet. Iste insuper coetus, ut immortalitati memoria praeclari triumphi manderetur, quem de Turcis crucis virtute Christiani apud Echinadas insulas sunt consecuti, quotannis statuto die, quo Christi mors ubique terrarum celebratur, ad Sanctæ Crucis memoratum templum colligitur, ibique pium agmen, praeeunte cruce, una cum populo comitante, preces fundens tardiore gradu procedit. Iuvat enim tot homines videre ad crucis virtutem hymnos tollentes, quae hostes immanitate barbaros ac multitudine pene innumerabiles ad nihil redigent.

HERS.

Quum quis positus in prosperitate diligitur, incertum est utrum prosperitas an persona diligatur; amissio autem prosperitatis interrogat vim dilectionis, nec prosperitas quippe amicum indicat, nec adversitas inimicum.

S. GREGORIUS, Mor.

Non prodest solitudo corporis, si deest soliditudo mentis.

S. GREGORIUS, Mor.

Famam qui custodit, non tantum in se, sed etiam in alios est misericors.

S. AUGUSTINUS.

VALETE, MUSAE!

Quas vigil excolui, musae, melioribus annis,
heu, quanto luctu quanto dolore gravatus
vobis nunc cogor tristis muttire: Valete!

Haud eritis posthac iuvenilis blanda voluptas
aetatis, neque iam tenui sub lampadis igne,
dum silet arcta domus, rerum velut immemor,

[ipse
vobis, parva licet, suspendam florea sarta.

Haec fuerunt, scio: nunc species e mente ni-

[tentis
sensim vanescunt et, quamvis tarda senectus
distet ab obscuris oculis nigrisque capillis
nullaque ruga meam perararit languida fron-

[tem,
haud mihi sunt roseo circumdata cuncta colore,
sed veluti nubes nonnunquam intenditur atra
qua flos quisque caput, qui pectore germinet

[imo,
ceu gelido boreae devictus turbine flectat.

Quid faciam, Musae?... Me arcent, heu, mu-

[nia vitae
finibus e patriis placidique e litoris oris,
solus ubi vacuas nubes et inania mentis
captavi... Urbe procul clamosa illaetus in agris
iba: rumpebat vox nulla silentia ruris:
nil nisi balatus ovium quandoque laboresque
agricolae, interdum longe lateque fluentes
cantus feminei caeli per aperta sereni...

Tum, cum penderet medius iam Phoebus ab

[axe
cunctaque dormirent lassa ceu vincta quiete,
fila videbantur subtilia murmure longo
tranquillum arcana deferre per aera voces
longinqui ad ruris pagos urbesque superbas.

Haud procul unda maris. Quam gratum flan-

[tibus auris,
solis ubi extremo decesserat ignis Olympo
umbraque paulatim pullo velabat amictu
omnia, caeruleum pontum spectare polique
innumera in tacitis labentia sidera campis!
Ignota quadam pectus dulcedine totum
factus, ad aeternas pelagi velut immemor un-

parvam animum ut cymbam potui committere
[cursu
rerum continuo, species et lumine claras
usque sequi, trepidus mentis dum somnia ca-

[pto.
Quam nunc securus gaudebam corde, Came-

[nae!
Nam, minime illecebris saecli permotus ineptis
officiisque gravis vitae, rite ipse petebam

dulcia vobiscum tranquillas verba per oras,
unde meum subito tangebant gaudia pectus
cum nitida ante oculos fulgeret gloria fixos.

Post solus (tantum ranas audire videbar
per noctem querulas longasque ciere querellas,
gryllorum cantus, atrum baubonis ab alto
culmine singultum atque hiemali tempore noctu
undarum horrificos sonitus ventosque fragosos
et quandoque imbreu crepitantem triste per

[umbram)
post vacuus, tamquam fugissent pectore curae,
lumine sub tenui lychni vaga somnia et ausus
insectans, calamo tum candida verba serebam
in niveis chartis. Quam gloria clara nitebat
utque vocabatis trepido sermone poëtam!

Ista fuere quidem! Campis iam munera vitae
me patriis traxere gravis magnasque per urbes
me impellunt. Varii adspectus variaeque quie-

[tem
res arcent dulcem ut paulatim vestra voluptas,
Pierides, mox vanescat... Nam mane diei
in primis quam multa premunt! Hinc emere

[cogor
panem, tum fructus, tum obsonia quaeque et

[amarum
fomentum natis, si aegrotent forte, pusillis.

Me manet hinc ludus, pueros ubi rite, vacandi
Graecorum haud cupidos studio sermonis, ad

[oras
Xanthi aegre videor fatalis ducere, utrumque
dum furor incendit divos hominesque feroces,
aut loca Taurorum, nautis inimica misellis:
Iphianassa gemit maturo funere fratrem

abreptum, inque boves furiis agitatus Orestes

currit cum gladio, contextus mente tenebris.
Saepe autem — quantus demanat sudor ab ore
quotque mea incassum pereunt tunc verba —

[latine
nitor ut ediscant convertere per breve pensum.
Heu, celeres, Musae, passus properate peten-

[tes
egelidos rivos, montes fontesque remotos,
quorum gaudetis tranquillo murmure! Ludi
haud domus apta patent vobis, mea cura, Ca-

[moenae.
Pernoscunt pueri quis nuper follibus ictis

victor praestiterit, quis caestu sanguine tintum
contusumque ferox turbis plaudentibus hostem
ad limen decertantem proiecerit arctum,
quisve rotis currens geminis rhedave sonanti,
quam crepitu vis magna furens quatit, incitat

intus,
attigerit primus metam dignusque referre
extiterit palmam divosque aequare supremos.
Quid Maro, quid Tacitus, Flaccus, vinosus Ho-

[merus
cum nostrae aetatis pueris? Quot corde furenti
ingerit in veteres convicia turpia vates
quisque, ubi de campo vox exauditur aprico
qua varie certaturos hinc inde salutant,
indeque prospectant pedibus magno impete pul-

[sum
follem sublimes rapide volitare per auras
id tantum cupidum, servantem limina contra
fallere custodem et claustrum transmittere por-

[tae.
At non, si plenas puerorum vocibus aulas
post munus liqui, domus et me parva recepit,
non mihi Pieridum redit unquam blanda volu-

[ptas.
Dulcia amant dulcem musarum dona quietem.

Nam meus e ludo redeunti subsilit infans
atque vocat balbis verbis, queis tota resultat
arcta domus, prensat me bracis, allicit ardens
ad sua defessum certamina, me iubet idem
nunc asinum parvo parvum vincere capistro,
curru aptare rotas, modo currere ut inde se-

[quatur
ac teneat captum, meque abdere, ut ipse requi-

[rens
post portam tandem inveniat me forte latenter.
Risus utrumque sonat, miscentur et oscula

[utrumque,
at quandoque levi de causa magnus ocellis
profluit illius fletus gemituque replentur

omnia. Tunc puer, factus puer ipse, tigillis
deprendor variis turrim struere impiger altam,
ictu vel tenui ruituram denique late,
aut tacite e charta parvas effingo carinas
vel pueri lepidas nasuti evolvo figuras,
vixdum fingenti mendacia, turpiter horrens
cui magis atque magis nasus succrescit in ho-

[ras.

Iam nequeo, Musae, nequeo colludere vobis,
ac frustra e muris pictae me dulce vocatis
semper et allicitis gravibus tacitisque loquelis
usque reducentes vigiles consumere noctes
quas quondam placuit mihi carmina multa se-

[renti;

heu, frustra totiens promissa eademque negata
nunc rursum audetis manibus protendere serta.
Nunc domus haec aliis resonat mihi vocibus

[atque
haud minus optandae vestris sunt vocibus, her-

[cie,
subrisuque pio, mulcet qui corda poëtae!

Quod si, desidie tanta studioque remorsus,
mitto iocos pueri tristis quandoque domusque
angulo in occulto numeros captare fluentes
fert animus, chartae ut varientur floribus albae,
confusus clamor triviis venit undique ab imis

totasque auriculas implet, premit asper et om-

[nes,

quae ante videbantur iamiam splendescere ocel-

[los,

obvolvunt species subito caligine fusca
inque fugam vertunt. Rauco nam gutture laudat
castaneas quidam elias, conchilia nudis

piscator pedibus pharius, piscesque recentes,
inde ipsis alius subter stans usque fenestris
esse quidem tempus gustandi denique clamat

quos dedit aethnaeis fructus catanensis in agris


terra ferax: positae prostant pulchro ordine mul-

[tae
ficus, spina horrens quas indica protulit arbor.
Decertant pueri ludentes: cursitat unus
atque alii clamore leves subito ecce sequuntur;
nummulus hic resonat, resonat iactatus et illic:

quisque suam sortem pertentat homunculus at-

[que
sunt quibus haec faveat, miseros et deserat inde

momenti spatio: hinc tolluntur ad aethera voces
et saepe intentas miscet discordia turmas,
rixanturque omnes convicia multa minasque
iactantes tanquam fera clades gentibus instet.
Adde quod interea peracuto buccina bombo



aëra continue perrumpit, namque frequentes rheda viatores (crepitanti murmure ab imo crassus eam fumus compellit et ordo rotarum) cedere confessim iubet ut per aperta triumphans praecipi possit socias superare volatu.

More trahunt asini currus: utrumque latus res gestas effectas nimio indoctoque colore monstrat Francorum, veterum deinde inclita Re-

[gum:] turmae conspiuntur equorum, bella virorum qui auro fulgentes, destrictis ensibus, omnes depugnare student ut frontes laurea cingat atque suis clarum decus addat quisque pueris. Ast asinus magno pennarum ornatus amictu pergit iter quatiens vaga tintinnabula dorso ad numerum resonantque viarum saxea longe dum stimulo increpitat, si forte moratur, agaso. Dat tuba militibus stridens sua signa sonore ut propere coeant fermentaque manipla et ad alti culmina montis eant, belli sumulacraque pan-

[dant, ut nunc caenatum properent, et denique cuique, extremis trepidet cum caeli Vesper in oris, iamiam muneribus missis exire licere acti ut percipient solamen iure laboris.

Omnis adest miles, vocitat, modulamina iungit, se ornat, et egreditur: circum sermone replen-

[tur] omnia dissimili. Via iam praelonga renidet lumine magnifico: splendent utrimque tabernae et mira extollunt efficta labore manuque. Hic pueros videoas sublimes ire, severas, illuc matronas cerussatasque pueras, quae fallunt iuvenes spectantes atque videri percipiunt. Volitant voces, ridetur ubique factaque penduntur, varia sed lance, diei... Heu, quam multa valent mentem removere poë-

[tae!] I nunc, si tantis curis variisque remotam contineas mentem revocesve, et confice ver-

[sus!] Incepto ante oculos aliquid vix carmine sensim appetit tenui quodam fulgore renidens, en procul horriso vanescit murmure fusum, frustra et, si rursum capiam, sub pectore ve-

[xor.] Forsitan, ut tacitis nox omnia condidit umbris, dum ros in latos de caelo decidit agros fessaque per volitant mortali somnia fesso, hic, Musae, tandem circumdatus usque quiete nullisque aversus curis, hic forte licebit

vobiscum alternis longas gaudere per horas colloquiis et subrisum captare parumper vestrum, quo in terris nil vati dulcius unquam. Sed tunc, incassum, species per cuncta vagan-

[tes] haud revocare queo, noctis quoque namque pro-

[fundae] tempore rheda viis fremitu tonat undique ma-

[gno] auriculas feriens; vacuus plerumque popellus in triviis miscet festivis omnia verbis,

aestas praesertim calidis si praegravat auris; cymbala continuis modulis perrumpere noctem

pergunt atque hinc inde, furor cum instare vi-

[detur] acrior, e domibus multis modulamina multa perveniunt, mox miscentur, caput atque fatigant.

Namque recens nunc inventum iam manat in

[omnes] terrarum partes, radiisque per aethera caeci ecce ferunt quidquid vario est sub sidere ge-

[stum] orbis in immenso spatio: qui frergerit hostem caestu certantem, quid gens Iaponia vafrum exagit sibi quo terras submittere possit contiguas, spernens quos inclita turba virorum — magnum concilium pacis per cuncta tuer-

[dae!] — haud audet iussus imponere: deinde Britannus (adnuit omnes illi pecus immemor atque supi-

[num...] quas poenas Italicae Genavae meditetur ut arma proiciant tandem trepida formidine pressi Aethiopumque omnes regem venerentur ament-

[que] quo duce vincita gemit servorum turba catenis. Ast audire placet contra quae culmina miles impete, vexillum quatiens, iam scanderit, imas quas valles teneat, miserae quot pectore gentes laetanti accipiant Italos qui vincula frangant, omnibus et pacem libertatemque reportent. Nec minus interea nonnumquam audire licebit quot tormenta Anglus, Suebus mercator et ar-

[ma] Aethiopi mittant quis frustra, Roma, phalanges eiciant claramque tuam per saecula lucem.

Est qui percipiunt nummorum nomina nosse, qui fuerint hic victores; hic blanda Panormi auscultare cupit mima cantamina et idem plosorum strepitus; aliis qui terra colenda agricolae ut fructus maiores reddat avaro:

quidquid fit, geritur vastum quodcumque per [orbem]

hic audire licet, sed non ut sibila saepe horrifica aut fractos tonitrus aut murmura longa machina non capiat redditque; ita montis ab

[alto] vertice per scopulos hiemali tempore aquarum auctum decursu convallis flumen ad ima

praecipitat saliens pavido magnoque fragore.

Haud satis est: curnam quae dulcia ab angulo

[amator] cantat avens fidibus taceam fictasque querellas

quas domina auscultat latitans de more fene-

[stram] post clausam?... Cantat... Volitant dum car-

[mina amoris, decidit alma quies sensim mortalibus aegris, omnia convolvens, gelidae praenuntia mortis...

Iamque valete, piae Musae! Fragor urbis et

[ingens] curarum series perturbant pectora et aures, vosque arcent. Ast interea iam labitur aetas, heu, velox secumque trahit vaga gaudia vitae...

Ad patrias olim post tempora multa reversus agros, ad colles, glaucas unde aequoris undas perspiciam patula quercus fluitantis ab umbra, gaudia vos sursum capiens arcana revisam, Pierides dulces? rursumne ego carmina dicam? Heu, numquam agrorum forsan gaudere quiete fas erit ut prius ac musarum carpere flores, et quae Pieridum placide se aperire corollae saepe videbantur, languebunt triste ut aprici in campus flores flabris hiemalibus icti.

Scr. Messanae, mense Novembri MCMXXXV.

JOSEPHUS MORABITO.

HISTORICAE NOTAE

De publico rerum ordine in primitiva Societate Romana.

Quaenam primitivae Romanae civitatis fuerit constitutio plane non constat: historica monumenta desunt, traditio est admodum incerta; utriusque defectum supplet inductio historicoo-iuridica; e vestigiis quae in historicis institutis supersunt ad vetustiora: instituta, caute tamen, ascendimus:

nosse enim hanc primitivam constitutionem, ex qua ius tum publicum Romanorum cum etiam privatum praecipuum duxit indolem et formam atque etiam prima instituta, non parum confert etiam ad historici temporis ius rectius intelligendum. Itaque instituta huiusmodi prima duo in rei publicae ius deducta sunt, duoque numerantur: familia et gens.

* * *

Familia in iure romano vetustissimum prae omnibus institutum est, suamque auctoritatem usque ad extrema tempora servavit. Etiam qui negant familiam esse primam hominum societatem, tenent tamen primitivos Italiae populos iam periodo neolithica constitutos esse in familias, eamdemque constitutionem habuisse Indo-Europeos quo tempore in Italianum immigrarunt, eas autem familias characterem patriarchalem indutum iam tunc habuisse. Duplicem distinguunt familiam: parvam et magnam; parva constat ex iis omnibus, qui sub potestate sunt unius eiusdemque patris; magna autem ex illis qui, patre familias defuncto, non dissociantur, sed in eadem familiari consociatione permanent cum suisque quisque liberis et uxoribus. Familiae variae, quae ex eodem stipite ortae sunt, cuius memoria non exstat, *gentem* constituunt; ex gentibus populus, dein civitas. Quo igitur tempore Urbs exstitit, iam Latini in vicis, gentes, familias consociati erant, quorum unaquaeque consociatio «functionem politicam» praestabat. Itaque et Sabellici nucleus primum consociationis, familiam, proculdubio habebant, eamque sanguinis necessitudine obstrictam; familiae membra, urgente necessitate tum victum procurandi cum aggressionum pro-pulsandarum, magis magisque adhaerent patri, cuius ideo potestas eo maius succedit; qui familiae praeest, omnium conspirantium subditorum opera dirigit, ut et auxilia vitae facilius exquirantur, compa-

rentur, et adgredientes propulsentur: quod est iam « politicam vitam » exercere.¹

Parva familia domum habitat, plerumque horto circumdatam; magna familia complures viciniores domus, ex quibus interdum vicus efformatur. E pluribus familiis conflatur postea gens, cuius territorium est pagus.

Familia romana primitiva in matrimonio et sanguine fundamentum habet, licet non exclusive: successive enim eos etiam, qui nullo sanguinis vinculo ligati essent, acceperit; sed mox « characterem politicum » induit: fit enim minime e politicis consociationibus ad defensionem coadunatis aetate primaeva; igitur non privatam tantum vitam habet, sed etiam publicam; quin etiam tenendum censeo, antequam Urbs firmam certamque constitutionem fuisse exequuta, familiam parvam quamdam civitatem efformasse, parvam quamdam rempublicam.

Atqui familiam illi constituant imprimis qui ab eodem viro geniti sunt; postea qui eis accensentur aut eis inserviunt: is appellatur *paterfamilias*; pater autem non tam generationem quam potestatem, dominium indicat; dominum potius quam genitorem, quod sub se habet etiam eos qui a patre familias geniti non sint, et praetereras; vinculum generationis et sanguinis *cognatio* dictum est; vinculum familiae, quod latius patet, *agnatio*; ad significandum plenum dominium patria potestas dicta est etiam *manus*: igitur initio manus idem est ac patria potestas; deinde, in republica, haec duo nomina diversam significationem sumunt.

Familiae itaque appellatio eos omnes designat « qui sunt sub unius potestate, aut natura, aut iure subiecti ».² Natura in familia, ideoque in patria potestate aut manu

¹ « Politicam » seu publicam dicimus vitam, quae non singulorum, sed communitalis bono praeprimis consult; non aliud fere omnino hoc tempore respicit, praeter sacra et externa, populus.

² ULP., *Dig.*, I, 16, 195, § 2.

sunt liberi, seu filii proprii eorumque filii; iure vero tum uxor, patris familiae (*conventione in manum*) veluti sit filiorum loco, uxoresque filiorum, quae nepotum loco sint; tum filii alieni, qui ex. gr. emptione, adrogatione, adoptione familiam ingressi fuerint; tum denique servi, qui loco rerum habentur, nulloque iure fruuntur. Scilicet res sunt servi, famuli, aut sunt pecudes:³ praeter haec, nihil aliud ad familiam pertinet. « Pater autem familias appellatur qui in domo dominium habet, recteque hoc nomine appellatur, quamvis filium non habeat: non enim solam personam eius, sed et ius demonstramus ».⁴ Quapropter familia parvum regnum est; pater autem familias eius rex summus, cuius dominium est exclusivum, perpetuum, indefinitum:

« Exclusivum »; nullum enim alium patrem familias eadem familia patitur; nullum aliud cuiusque rei dominium; et quidquid in familia acquiritur, patri acquiritur.

« Perpetuum »; non enim cessat nisi aut patris familias morte, quippe mors omnia iura solvit, aut eiusdem voluntate; ex. gr. venditione ad exterros, emancipatione, conventione in manum alterius patris familias.

« Indefinitum »; videlicet quidquid est in familia, aut personae aut res, patris familias manum, potestatem, dominium, nullimode prorsus effugit.

Quod ad res attinet, de iisdem pater familias prouti vult disponit; et in primis de servis, quos et vendere et necare potest pro suo arbitrio. Personas autem pater potest iudicare, poenasque eis dare; item neonatos exponere, liberos vendere aut noxae dare ei qui a filio offensus fuerit, imo et necare; habet enim in eos omnes « ius vitae et necis », et quum familiae in civitatem, in regnum, in rempublicam coadunatae sint et hoc ius supremum civitatis magistratus acquisiverit, pater tamen fami-

³ Unde *pecuniae* nomen.

⁴ ULP., *Dig.*, I, 16, 195, § 2.

lias illud non amittit: utrique commune est; familia antiquior civitate. Tantum sub Imperio, forte influxu Christianae Religionis, hoc ius legibus mitigari coeptum est. Moribus tamen maiorum, si quando morte multandi sint liberi, ad id adstringitur pater familias, ut coniunctorum sententiam interroget, quam tamen sequi non teneatur; nihil igitur patriam potestatem definit, nisi aut fas aut mores, id est aut religio, aut traditio, incertissimi quidem fines: « quod ius — notat Gaius sub Imperatoribus scribens — proprium civium Romanorum est; fere enim nulli alii sunt homines, qui tales in filios habeant potestatem, qualem nos habemus ».⁵ Unde etiam Iustinianus: « Ius autem potestatis, quod in liberos habemus, proprium est civium Romanorum; nulli enim alii sunt homines, qui tales in liberos habeant potestatem, qualem nos habemus ».⁶

SILVIUS ROMANI.

⁵ Inst., I, 55.

⁶ Inst., I, 9, § 2.

DE LATINI SERMONIS NOTIS SINGULARIBUS¹

De pronomine “ille”

Ille ad tertiam personam refertur (i. e. ad personam de qua sermo est), et ea designat quae ad eam pertinent. — *Hic* et *ille* inter se opponuntur — *Ille* designat quod a dicente procul distat tempore vel loco — Saepe emphaticum est.

EXEMPLA: Eiusdem est qui in *illa* peccavit *hoc* quoque admisisse (CIC.) — Si deerunt *haec* remedia, ad *illa* declinandum erit (QUINT.) — Ne Catoni anteposueris Socratem. *Huius* enim facta, *illius* dicta laudantur (CIC.) — Quid est quod

¹ Cf. fasc. sup.

negligenter scribam adversaria? Quid est quod diligenter conficiamus tabulas? qua de causa? Quia *haec* sunt menstrua, *illae* sunt aeternae; *haec* delentur statim, *illae* servant sancte (CIC.) — Tum *ille*: « Non sum, inquit, nescius ista inter Graecos dici solere » — Ego *illum* de suo regno, *ille* me de nostra republica percunatus est (CIC.) — Tum primum philosophia, non *illa* de natura quae fuerat antiquior, sed *haec* in qua de bonis rebus et malis disputatur, inventa est — Ex quo *illud*: « Summum ius, summa iniuria », factum est iam tritum sermone proverbium — *Illud* Platonis — Hic *ille* egregius annus — Ex Ponto Medea *illa* quondam profugit (CIC.) — In his undis ad summam senectutem maluit iactari quam in *illa* tranquillitate atque otio iucundissime vivere (CIC.) — Docere *hoc* poterat ille homines paene agrestes, et apud imperitos audebat haec dicere (CIC.) — Me a conspectu malorum quae nostra tot per annos vidit aetas, dum prisca *illa* tota mente repeti, avertam (CIC.) — Hic est *ille* Demosthenes (CIC.) — Aristides testula *illa* exilio decem annorum multatus est (CORN. NEP.) — *Ille* Leonidas quam fortiter *illos* adlocutus est! — Quis vestrum *illum*, quem *ille* vestrum non oderit?

Circuitiones pro imperativo

Pro nudo imperativo secundae personae usurpari possunt certae circuitiones.

EXEMPLA: *Nolite* igitur id *velle* quod fieri non potest, et cavete, per deos immortales, patres conscripti, ne spe praesentis pacis perpetuam pacem amittatis (CIC.) — *Noli imitari* malos medicos, qui in alienis morbis profitentur tenere se medicinae scientiam, ipsi se curare non possunt (CIC.) — *Noli affectare* quod tibi non est datum (PHAEADR.) — *Noli* hac lenitate *abuti* mea (CIC.) — *Nolite* iam passim *volitare*; domi remanete aut caelum mutate: anatem imitamini — *Noli* pati litigare fratres et tur-

pibus iudiciis conflictari (CIC.) — *Nolite putare homines sceleratos terreri Furorum taedis ardentibus.* (CIC.) — *Noli reputare quantum a maioribus imperium acceperis* — Inanibus ludis te tradere noli — Etsi tibi dico fuisse me in fossa, noli tamen putare me in ullo periculo fuisse — *Noli*, Caesar, in conservandis bonis viris te fatigari (CIC.) — *Noli tibi persuadere pauperes Deo curae non esse* — Domi *ad-sitis facite* (TER.) — *Cura ut omnium tibi auxilia adiungas*, etiam infirmorum (CIC.) — Tu me *velim de ratione gallici belli certiorem facias* (CIC.) — *Velim domum ad tuos sribas ut mihi tui libri pateant, non secus ac si ipse adesses* (CIC., Att., IV, 14) — Tu *velim e Fabio, si quem habes aditum, odorere*, et istum convivatum *degustes*, et ad me de his rebus et de omnibus quotidie *scribas* (CIC., Att., IV, 9) — *Fac cupidus mei videndi sis* (CIC., Fam., V, 21) — Tu *fac animo forti magnaque sis* (CIC., Fam., I, 5) — *Velim* Varronis et Lollii mittas laudationem, Lollii utique (CIC., Attic., XIII, 48).

De actione reciproca

Ad actionem reciprocum exprimendam, usurpant « *inter nos, inter vos... etc. ...* » aut geminant « *alter, aliis, uterque, neuter, etc. ».*

EXEMPLA: Castra modico *inter se* distabant intervallo (TIT. LIV.) — Triginta tyranni bona publicata *inter se* diviserunt (CORN. NEP.) — Coniurati furtim *inter se* aspiciebant (CIC.) — Certamen tribunis et *inter se* ipsos et cum consule fuit (TIT. LIV.) — Beneficium et gratia homines *inter se* coniungunt (CIC.) — Iura certe paria debent esse eorum *inter se* qui sunt cives in eadem republica (CIC.) — Damon et Pythias fidelem *inter se* amicitiam iunxerant (VAL.) — Hamilcar et Hanno *inter se* complexi sunt — Omnes fraterno amore *inter se* amant — *Inter se* optime noverant — Sed quid hoc loco vos

inter vos, Catule? — Aspicere *inter se* — Alius alium circumspectant (TIT. LIV.) — *Alii alios intuebantur, mirabundi velut somnii vanam speciem* (CIC.) — Virtutes ita connexae sunt, ut *omnes omnium participes sint, nec alia ab alia possit separari* (CIC.) — Amici non solum colent *inter se* ac diligunt, sed etiam verebuntur.

De "attractione modali"

Coniunctiones et relativa quae pendent a coniunctivo aut a propositione infinita coniunctivum regunt, nisi actio verbi proponitur tanquam absolute existens.

EXEMPLA: Sciebat homo sapiens ius semper fuisse *ut, quae tyranni eripuissent, ea, tyrannis interfectis, ii quibus erepta essent, recuperarent* (CIC., Phil., II, 37) — Quid est stultius quam venditorem eius rei *quam vendat, vitia narrare?* (CIC., Off., III, 13) — Claudius refert Annibalem, quaerenti Africano quem fuisse maximum imperatorem ipse crederet, respondisse *Alexandrum Macedonum regem, quod parva manu innumerabiles exercitus fudisset, quodque ultimas horas, quas visere supra spem humanam esset, peragras-set* (TIT. LIV., XXXV, -4) — Alligant me interdiu, *ut vigilem, nox quum venerit* (PHAEADR.) — Natura fert *ut eis faveamus qui eadem pericula quibus nos perfuncti sumus ingrediantur* (CIC.) — Non est periculum, *qui leonem aut taurum pingat egregie, ne idem in multis aliis quadrupedibus facere non possit* (CIC.) — Consul, impeditus a tribunis plebis *ne quas paraverat* copias secum portaret, paucis diebus in Africam proficiscitur (SALL., Iug., 39) — Orator efficit *ut ii qui audiunt ita afficiantur ut velit* (CIC.) — Quid est igitur *quod me impedit ea quae probabilia mihi videantur sequi?* (CIC.) — Qui fit, Maecenas, *ut nemo, quam sibi sortem seu ratio dederit seu fors obiecerit, illa contentus vivat?* (HOR.) — Quod scribere non auderem, nisi idem placeret Panaetio

(CIC.) — Plinius *perire omne tempus arbitrabatur, quod studiis non impertiretur* (P. I.) — *Si solos eos dices miseros, quibus moriendum esset, neminem tu quidem eorum qui viverent, exciperes* (CIC.) — Quis est qui neget haec omnia *quae videmus* deorum immortalium potestate administrari? (CIC.).

(*Ad proximum numerum.*)

I. JSS.

AD SANITATEM TUENDAM

De signis prognosticis¹

Notanda h̄c veniunt aurea Hippocratis verba: *Respiratio libera*, inquit, in omni morbo, qui cum febre acuta infestat, magna habet ad salutem vim. Haec enim omni fere in prognosi fert punctum. *Magna et tarda delirium et convulsionem indicat. Magna exspiratio et parva inspiratio, atque contra, periculi plenae sunt. Parva et obscura semper mala* (HIPPOCR.).

Cibi fastidium in morbo diurno malum, ut et in longis dysenteriis cum febre (HIPPOCR.). Si appetitus langueat ob fermenti visciditatem, quale quid saepius in intermittentibus observatur, caret periculo; sin fastidium ciborum ex defectu lymphae gastricae oriatur, magnam sanguinis in mistione turbationem indicat et periculum portendit.

Si post febres *inappetentia* maneat, recidivæ metus est.

Sitire, quum non sitire, et *non sitire* quum sitire debeas, malum est.

Aquosae dejectiones malae sunt in febribus et in morbis infantum.

Omnis *copiosa deiectio* in morbis pectoris mala est.

Dejectiones cruentae in variolis aliisque acutis pessimae sunt.

Malum est si *sanguis splendidus* per cessum reiiciatur.

¹ Cfr. fasc. sup. mens. Junii.

Dejectiones virides, aeruginosae, lividae et versicolores exitiosae sunt.

Vomitus in acutis augures sunt periculi. Malae quoque sunt vomitiones sincrae, virides, nigrae, lividae, varii coloris in acutis.

Vomitus in vulneribus semper mali sunt.

Qualiscumque sit sudor, si aegrum non iuvat, inutilis est (HIPPOCR.); copiosus sudor cum repentina virium prostratione in principio variolarum laethalis est.

Omnis sudor particularis symptomaticus est.

Sudores nocturni post coenam largiorem boni sunt. Sputatoribus auxilio sunt sudores in somno (HIPPOCR.). In fortis apoplexia cum magna spirandi difficultate sudor subortus lethalis (HIPPOCR.).

Largior *mictio* in acutis mala. Intermittentibus hecticae prodromus.

Haemorrhagia in acutis, quae larga quidem, non tamen nimia, et quae cum symptomatum mitigatione sit, atque aegrotantis constitutioni et morbo indoli respondent, bona est.

Stillicidium narium malum est.

Sputum aequale, non foetidum et quod sine magno dolore et labore reiicitur, in morbis pectoris albo calculo dignum.

Omnis abscessus decretorii boni sunt.

Tubercula ad aures cum dolore perniciem minantur (HIPPOCR.).

Habitum corporis in morbo magno plane nihil mutari, malum (HIPPOCR.).

In acutis *abdominis tumor* saepius lethale signum est.

Color flavus vel citrinus in acutis exitiosus est.

Oculis lucem fugere, illacrymare aut perverti, atque ex his alterum minorem esse, perniciem denunciat (HIPPOCR.).

Lingua tremula instabilem mentem denotat (HIPPOCR.).

Malum est si *lingua sicca, nigra, dura, scissa et scabra* sit in acutis.

Fauces exulceratae cum febre difficiles

sunt (HIPPOCR.). Et in acutis morbis fauciū dolores sine tumore perniciosi. In dysenteria semper exitum praeditum linguae tumor cum difficultate deglutiendi.

Lethale est si in acutis externa algunt et interna urantur (HIPPOCR.). *Caput, pedes et manus frigidas esse, ventre et lateribus calentibus, mali morbi signum est* (HIPPOCR.).

Digitī et unguēs, si fiant lividi cum corporis gravitate, in propinquō mors est (HIPPOCR.). Indicatur enim fluida in motu et mistione esse perversa.

Facies coloratior ex sanguinis restagnatione pessimum in acutis exhibet signum.

Agmen claudit *facies Hippocratica dicta, nasus acutus, oculi cavi, tempora adstricta, aures frigidae*. Quod si aeger nec audiat nec videat, in propinquō mors est.

I. WALDSCHMIDT.

ANNALES

Europaeum discrimen

Quod discrimen in Cecoslovachiae republika ortum erat, parum abfuit quin ad Europam omnem fines proferret. Dum enim Cecoslovachiae gubernium consulere videtur ut res in longum trahat, Hitlerus Norimbergae liberum Sudetorum ius de sua sorte deliberandi palam vindicat; quod ad consequendum nisi ipsi necessaria auxilia invenerint, a Germania habituros esse. Respondet Cecoslovachia iustitium indicens apud districtus cuius cives Germanico genere maxime sint, aliaque belli praesidia comparans. Germaniae Italia accedit, imo necessitatem declarat iura non Sudetorum tantum, sed aliarum quoque gentium in Cecoslovachia viventium recognoscendi: ea negare, futurum forte bellum, idque non Europae tantum, sed universo terrarum orbi infestissimum; Gallia contra,

ex pactionibus iamdiu cum Cecoslovachia initis, bellum praesentiens subsidiarias militum copias ad arma vocat, civium animos iam ex internis negotiis sollicitos magis perturbans. Tum Chamberlainius, administratorum Anglii consilii praeses, colloquium ab Hitlero petit, quod reapse Berchtesgaden evenit; Hitleri mente apud collegas Gallosque administratos Londini ab eo relata, consilia Cecoslovachiae afferuntur pacifice rem dirimendi. Resistit haec in primis; deinde accedere videtur: re quidem vera exercitum omnem ornat atque instruit.

Hitlerus minas renovat, inaneque evadit colloquium alterum Rodesberg inter ipsum et Chamberlainum habitum; quin etiam Cecoslovachiae diem dicit kalendas Octobres ad vacuandas omnes terras a Germanicis in ea habitatas; secus se illas vi occupaturum. Omnes populi igitur imminent sibi bellum sentiunt: Anglia classem munxit, ac Londini subterranea refugia effodit; Gallia nova subsidia ad arma vocat, dum Lutetia Parisiorum incolis vacua fit, ipsique Belgae arma parant, dum Roosevelt, Septentrionalis Americae Praeses, frustra intercessionem suam praebere conatur, et Summus Pontifex ab universi orbis filiis anxie preces ad Deum invocat, ut immensam iacturam avertat. Ad ultimum Angli et Galli administrati ad Mussolinum, Italorum ducem, se convertunt, ut officia sua interponat; qui quidem ab Hitlero obtinet ut Monachium cum eo convenienter summi Italorum, Anglorum Gallorumque administratori ad discrimen sine tot sanguinis effusione, data ab his fide, dirimendum. In Monacensi conventu, die XXIX huius mensis Septembris habito, statutum est ut inter primam ac decimam Octobris mensis diem gradatim territorium Sudetorum, in quo Germanica gens praecelleret, in Germaniae ditionem cederet: in locis autem ubi in dubium afferatur utrum praevalentes incolae Germanici existent, populi scita, sub Anglorum, Gallorum Italorumque vi-

gilantia, fierent. Quod autem ad ceteras gentes attinet, trium mensium spatium datum est ad res componendas.

Ita, fausto auspicio, ac Dei misericordia, Europae caelum tantae tempestatis ac tot damnorum nuncium, serenum, nunc saltem, iterum factum est.

Varia

Eventus, quos supra recoluimus, tantum omnium animos occuparunt, ut quae alibi fierent, prope sine nota apud nos fuerint. Itaque paucis oratio nostra definitur:

In Hispania « Nationalistae » ultra processerunt in provinciis Estremadura et Catalonia, in qua dissensiones magnae, cum administratorum a suis munibibus abdicatione, factae sunt inter partem sua libertatis iura Catalaunis vindicantem, et quae Moscovitarum menti favet.

In Palaestina iam ad bellum civile ventum est: Iudei enim et ipsi arma sumpserunt.

In Sinis Iaponii victorias quotidianas fere de hostibus reportant.

POPLICOLA.

VARIA

Ab Imperatore praelium evitari non posse, quum hostis omnibus modis dimicare conatur.¹

Hoc pro certo statuere oportet, praelium a duce detrectari evitarique non posse, quando hostis id omnibus modis committere decrevit. Atque hinc fit, ut qui prohibent Imperatoribus suis ne ad pugnam veniant, tantundem faciant ac si iisdem mandent, ut tunc tandem fortunam experiantur, quando eam non nisi certo periculo experiri possint. Nam qui in castris exsistens prae-

¹ Ex NICOLAI MACHIAVELLI opere, cui titulus: *De republica disputationes ex prima decade T. Livii latine vertit H. BINDI.*

lium detrectat, is aut abesse ab hoste cogitur, ad minimum per quinquaginta passuum millia, et per exploratores subinde eum observare, ut eo veniente cedere queat, aut certe in munitis aliquibus urbibus contineri. Utrumque horum periculoso est. Nam cedendo agrum hosti devastated concedis; satius autem fuerit fortunae periculum subire, quam tanto cum detrimento tuorum pugnam devitare. Quod si minutis quibusdam urbibus te contineas, manifestum subis periculum; nam obsidebit te hostis, atque ita rebus necessariis destitueris, fame laborabis, et ipsa necessitate ad ditionem compelleris. Fabium autem imitari non poteris ni tam forte exercitum habueris, ut te hostis iis locis adoriri non ausit, quibus tu, muniendi tui causa, consedisti. Neque enim cunctando ille praelium detrectabat, sed occasionem quaerebat commodam pugnandi. Quod si iis locis cum illo congregi voluissest, Annibal, quibus ille continebat, pugnam detrectasset. Sed id ipsi periculosum esse cernebat Annibal; itaque eum non invadebat; neque Fabius ab iis locis discedebat, quibus se tutiorem esse cernebat. Itaque fiebat, ut neutra pars praelium urgeret; quod si enim Annibal vel Fabius omnibus modis conatus fuisset dimicare, nulla extitisset ratio detrectandi praelii, quam vel cedendo, vel munitas urbes occupando, vel plane fugiendo. Id ita se habere apparuit bello Macedonico, in quo Philippus, quum aliquoties fortunam tentasset, eaque res illi minus prospere successisset, deserta quaedam loca occupavit, sperans Romanos eo non fuisse sequuturos. Sed quum illi se querentur, et Macedones trepidos ex stationibus praesidiisque deturbassent, cum reliqua exercitus parte fugere coactus est. Hoc periculo edoctus cognovit se pugnandi necessitatem evitare non posse, quamdui romanum exercitum propinquum haberet; itaque longe ab illo castra sua habere, et quum is unam aliquam regionem invade-

ret, ipse aliam ingredi coepit. Quam rem, quum cerneret sibi itidem incommodam esse, et suas conditiones subinde deteriores fieri, tandem cum Romanis praelio decertare coactus, succubuit.

Quae quum ita sint, tunc demum cunctandum fuerit, quum eadem rationes nos movebunt, quae Fabium et Cneum Sulpicium impellebant, si modo exercitum tamē habueris, quem hostis non ausit quo-vis loco adoriri. Nam si hostis tuos fines nuper ingressus, nondum multa loca occuparit, nec commeatum percipere adhuc queat, proderit utique ne te fortunae adversus eum hostem committas, quem tempus deteriorem in dies et locus alienus faciat. Aliis ex causis si praelium evitare coneris, non sine damno ac vituperio tuorum id facies. Nam cedendo uti Philippus, videberis, antequam fortunam experiaris, victus, nec evitabis periculum, si hostis te consequi volet. Annibal certe summus imperator fuit, sed idem quum in Africam adversus Scipionem revocatus esset, bellum protrahendum esse non censuit, quum tamen ea in re Fabium imitari potuisse, ob insignem quem ducebat exercitum.

Quicumque igitur belli dux insignem habet exercitum stulte agit si non fortunam experiatur, antequam ei vel pecunia, vel commeatus deficiat, vel ex aliqua causa aut miles defluat, aut socii deficiant; quod si in his accidentibus certissimum periculum sit, in pugna non deesse potest viris fortibus aliqua victoriae spes.

Illud vero in primis etiam spectare debemus, ut gloriam aut laudem comparemus; quae certe maior erit si fortiter dimicando succubueris, quam si ex alio errore fueris oppressus, antequam periculum fortunae tentaveris. Verisimile est etiam, Annibalem, iisdem hisce causis permotum, cum Scipione congredi voluisse; neque enim Scipioni periculum ullum incumberere cernebat, ut vel pecunia deficeret, vel quae Fabium in Italia ut cuncta-

retur movebant. Nam Scipio Syphacem iam praelio vicerat, plurimas urbes occupaverat et exercitum tutum iam in Africa habebat, perinde ac si in Italia esset. Qui vero infesto exercitu externum hostem invadit, multo adhuc minus detrectare praelium potest, quum necessario pugnandum sit cum iis, qui te aditu eius regionis prohibere conantur; idque vel in primis fieri oportet tunc, quum ad obsidem aliquam urbem castra ponuntur. Nam ei rei coniuncta est perpetua pugnandi necessitas, sicuti apparuit quum Caro'us, Borgundiae dux, Moratum, Helvetiorum oppidum, obseditset. Nam tunc ab Helvetiis praelio petitus succubuit; idemque accidit Gallis Novariam obsidentibus, qui ab iisdem Helvetiis fusi sunt.

Pro iudicibus mensarum elegantibus

ESCARUM ORDO:

*Oryza Mediolanensis more comparata.
Soleae frictae.*

Caro vitulina in cibano decocta.

Acetaria ex variis oleribus.

Crustum mellitum.

Aenigmata

I

Sum regio, spumans quam verberat aequoris
[unda.

Principium mutas? Thuriis honore flagro.
Mutatur rursus mihi princeps littera? Per me
pallent ora, tremunt membra tumetque iecur.

II

Membra rigo guttis, nimio confecta labore;
Principium muta: pingo rubore genas.

FR. PALATA.

Aenigmata in fasciculo sup. mens. Iulii
proposita his respondent: 1) *Cervus-Ser-
vus*; 2) *Sica-Pica*; *Pica-Sica*.

IMPRIMATUR:

† Fr. ALFONSUS C. DE ROMANIS Ep. Porphyreonen.
Vic. Gen. Civitatis Vaticanae.

Dr. JOSEPHUS FORNARI, Moderator, Sponsor.

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS

REGULUS

[30]

ACTIO DRAMATICA HENRICI JOSEPHI COLLIN

(In Latinum convertit VALENTINUS FEHÉR).

P. Sane quidem laboravit pro nobis Regulus omnibus
Devicit, passus est et si consul esset pater meus,
Metellumque eadem fortuna, quae nunc patrem, oppimeret,
Nec me teneret officium civilis muneris,
Iam vostris auribus clamarem voce acerruma:
Nonne ab eo grandita est Romanorum civitas?
Non debent ei Romani gratias? post ad patrem
Festinans sic clamarem, ut exsonaret campus Martius:
Concede sis, ut demonstrem Metello gratum animum.
Fac, consul, ut meum nomen scribatur in albo militum,
Nam pro illo paratus sum lubens cruentum fundere.
CR. Auditin hoc, Quirites? ego quoque nomen do meum.
PO. Et nos omnes. — SEX. Iam prome, consul, album civium.
MA. Tu nobis ductor eris. — TU. Tecum nos omnes ibimus.
PO. Salvi sitis, Metelle et Publi. — ME. Novimus quidem,
Quam docte captivorum missionem Regulus dissuaserit;
Sed ipsum ad vos loquatur, Quirites, si lubet.
SEX. Ne istuc, tribune, patere! — CR. Intercede, noli hoc pati.
PU. Quidum hoc, Quirites, possim facere? At impedire non queo
Quominus orationem ad vos habeat meus pater.
Nam sim impudens, quod non voltis. — PO. Nunquam gentium.
ME. Eloquere Regule. — RE. Quis audet me dicere
Et a vobis, Quirites, esse et a senatu traditum
Karthaginensibus? is pol vomit mendacium
Et me spoliat bona aestumatione. Non ego fui,
Qui me invocatus piacularum pro Roma diis dedi?
Arbitratu meo meum volo cruentum fundere;
Iam sum deorum neque habetis vos potestatem mei.
Supremis verbis, quae vos dicere me conceditis,
Idcirco abuti cupio, ut vos ultimum valere iubeam.
TU. Istuc quidem minume. — CR. Hic manebis, nec te mittimus.
RE. Vos, cives, qui puerili febri tantopere exardescitis,
Iam conclamatis arma. Num consideravistis probe,
Vostraene patriae prositis? Audaci vobis animo
Periculum creatis et quae vobis imminent,
Obliti estis malorum. Quid si Gallus insolens
Russum ante portas adparebit et vacuam inveniens
Urbem rursus capiet arcem celsam Capitolii?